BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
12. Jh. Seite 145r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift



descendunt usq; ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.
Vt quid hoc. Propterea sane anima eorum in malis interim plus tabescit.
quam delectetur in bonis: quod hec in re. illa vero tantum in spe videantur
haberi. Quis potest saluus esse. dicunt discipuli saluatoris. Et ille.
Apud homines hoc impossibile est: sed non apud deum. Hec tota fidu
cia nostra. hec unica consolatio nostra. hec tota ratio spei nostre. Sed de
possibilitate iam certi. de uoluntate quid agimus. Quis scit si est
dignus amore an odio. Quis nouit sensum domini: aut quis consi
liarius eius fuit. Hic iam plane fidem nobis subuenire necesse est:
hic oportet succurrere pietatem. ut quod de nobis latet in corde patris.
nobis per ipsius spiritum reueletur: et spiritus eius testificans persuadeat spiritui nostro
quod filii dei sumus. Persuadeat autem uocando et iustificando gratis
per fidem: in quibus nimirum uelut medius quidam transitus est. ab eterna
predestinatione. ad futuram magnificationem. Propterea sane geminam
illam considerationem. alteram quidem iudicii et ueritatis: alteram vero non
in congrue uocari credimus fidei et pietatis. Nec mirabere in hu
manis qualitatibus tam dissimilia reperiri: si sollerter aduertas. quanta
et in ipsa eius substantia. conuenisse videtur diuersitas naturarum. Quid enim
spiritu uite sublimius. quid uero humilius limo terre. Quam profecto tam disco
herentium in homine coherentiam rerum. ipsos quoque sapientes seculi huius
arbitror non latuisse: cum hominem diffinirent animal rationale mor
tale. Mirabilis siquidem copia rationis et mortis: mira societas discre
tionis et corruptionis. Sic nimirum sic in moribus. sic in affectibus. sic in
studiis hominum. non minor forte et amplior contrarietas inuenitur:
ut si totam sicut est prauitatem seorsum intuearis. ac quicquid boni rursum
videtur inesse consideres. singillatim plenum censeas esse miraculo: quod tam
aduersa conuenerint. Inde homo nunc quidem bariona. nunc vero satana me
retur audire. Nolite mirari hec. Recolite ex euangelio cui dictum sit. et
utrumque in ueritate. nam utrumque ab ipsa ueritate dictum: prius quidem beatus es
symon bariona. nec multo post. Vade retro satana. Vnus ergo utrumque:
et si non utrumque ex uno. Illud ex patre. istud ex homine. ipse tamen
utrumque erat. Vnde bariona. Quia non caro et sanguis: sed pater ei
quod locutus est reuelauit. Vnde satanas. Quia sapuit que erant ho
minum. non que dei. Iam si utraque consideratione diligenter inspeximus.